

17. Julii currentis anni in Quirinibus Aedibus, referente dilecto Filio Nostro Placido S. R. E. Cardinali Zurla nuncupat. nostro in hac Alma Urbe Vicario in spiritualibus Generali, re diutius perpensa, solutisque objectis omnibus, ac ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinalium sententiis consentientibus, Rescriptum pro Gratia confirmationis tituli Doctoris cum Officio, et Missa de Communi Doctorum, et Epistola secundo loco pro Ecclesia Universali die dicta datum, confirmandum esse censuimus, ac Litteras Apostolicas hac de super re expediri mandavimus. Quapropter precibus totius Ordinis Monachorum Cistercensium, quibus plures dignitate ac pietate praestantes Viri sua studia, ac postulata junxerunt, benique annuentes, de ejusdem Cardinalium Congregationis consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, titulum Doctoris, quo Divus Bernardus Abbas est hactenus in dicto Ordine, et in aliquibus Ecclesiis appellatus, confirmamus, et quatenus opus sit, denuo ei attribuimus; ita quidem, ut in Universali Catholica Ecclesia semper Is Doctor habeatur, et in anniversario die festo tum a Regulari, tum a Saeculari Clero celebrando, Officium ac Missa fiat de Communi Doctorum, et cum Epistola secundo loco, quae incipit: *Justus* etc. cum additione VI. Lectioni, et Martyrologio juxta Decretum ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis. Ac praeterea hujus Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis, Christianisque exercitationibus citari, proferri, atque cum res postularit, adhiberi volumus, et decer-

nimus: Tandem, ut Christifidelium devotio ad hujus Doctoris diem festum colendum, ejusque opem pie implorandum eo magis accendatur, quo ex hoc coelestis gratiae dono se uberius conspexerint esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui die festo ejusdem Doctoris vere poenitentes, et sacramentali confessione praemissa Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et unam ex Ecclesiis Ordinis Cistercensium a primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem diei devote visitaverint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias inibi ad Deum preces, prout sua cuique suggeret devotio, effuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur, declarantes hanc praesentem Nosram concessionem perpetuo duraturam, et sub quibusvis indulgentiarum revocationibus, vel limitationibus nullo modo comprehendi. Quocirca universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis per universum terrarum Orbem constitutis per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis, et Dioecesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis Ecclesiasticis Saecularibus, et quorumvis Ordinum Regularibus ubique locorum et gentium inviolate perpetuo observari procurent. Haec praecipimus, atque mandamus, non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut earundem praesentium Transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii

publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Augusti 1830. Pontificatus Nostri Anno Secundo. Card. Albani.

IN FESTO S. BERNARDI ABBATIS
ET DOCTORIS.

Missa de Communi Doctorum cum Epistola secundo loco, quae incipit: *Justus cor suum.*

Officium pariter de Communi Doctorum cum Antiph. *O Doctor*, in utrisque Vesperis. Lectiones I. Nocturni de Scriptura occurrente. Lectiones II. Nocturni propriae ut in Breviariis, et in fine VI. Lectionis addatur ut sequitur:

Pius vero VIII. Pont. Max. ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio Sanctum Bernardum universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, et confirmavit, nec non Missam et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque Indulgentias Plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cistercensium Ecclesias visitantibus die hujus Sancti festo concessit.

Lectiones III. Nocturni: *Vos estis sal terrae.* In Martyrologio addatur: Quem Pius VIII. Pont. Max. universalis Ecclesiae Doctorem declaravit et confirmavit.

DECRETUM.

„Supra scriptam additionem VI. Lectioni faciendam in Officio S. Bernardi Abbatis et Doctoris, et Martyrologio Romano ab Emmo. et Rmmo. D. Card. Placido Zurla, Relatore Causae, et R. P. D. Virgilio Pescetelli „S. Fidei Promotore revisum, SSmmus. „Dominus Noster Pius VIII. Pont. Max.

„adprobavit, atque in suprad. Officio „Officio et Martyrologio in universali Ecclesia legi posse concessit.“ Die 23. Julii 1830.

C. M. Ep. Praenest. C. Pedicinius Praef.

Loco † Sigilli.

J. G. Fatati S. R. C. Secr. n. 4659.

3) Translatio.

Festum S. Bernardi Abbatis die 20. Aug. in supradicto Ordine Militari Equitum Christi in regno Lusitania est dupl. I. cl. cum Octava, propter communicationem cum Ordine Cistercensium, et Festum S. Joachim Patris B. M. V. in ipsomet Regno est pariter dupl. I. cl., sed sine Octava, ut ex novissimo Apostolico Indulto sub die 17. Sept. 1806 concessum est. Quando Dominica infra Octavam Assumptionis, quae assignatur Festo s. Joachim, incidit in diem 20. Aug. S. Bernardi propriam, de quo Festo Officium peragendum? Utrum de S. Bernardo, an de S. Joachim?

Et S. eadem R. C. rescripsit:

„In casu, de quo agitur, faciendum esse Officium S. Bernardi Abbatis, cum translatione alterius S. Joachim in primam diem non impeditam.“

Atque ita in posterum servari mandavit. N. 4530. Ad. 4. Die 22. Martii 1817.

BERRETTA.

Vd. *Galerum; Biretum.*

BINATIO.

Vd. *Missae* (duae non sunt legendae ab uno Sacerdote.)

BIRETUM.

1) Assistentis.

Speclare ad Magistrum Caeremoniarum et non ad Acolythum, recipere

biretum primi Presbyteri assistentis Canonico in vesperis celebranti tempore, quo a celebrante, dum in choro canitur Magnificat, thurificantur altaria SSmmi. et ss. apost. n. 3505 die 21. Febr. 1699.

Cf. *Galerum*.

2) Canonici parati assistentis Episcopo.

Ad dubium: an Canonici et Assistentes Episcopo parati et illum ad altare comitantes in Pontificalibus, debeant omnes procedere cooperti? S. C. resp.: Ratione habita paramentorum posse procedere per ecclesiam coopertis capitibus. n. 3786 ad 4 die 28. Apr. 1708.

3) Canonici assistentis in throno.

Vd. *Usus Pontif.* (decr. 4593 ad n. 18.)

Ad dirimendas lites inter Episcopum Callien. et Canonicos illius Cathedralis, ex parte ipsius Episcopi pro declaratione infrascripti Dubii S. R. C. enixe supplicatum fuit:

An Canonici assistentes Episcopo sub throno possint tegere caput, quando caeteri Canonici et Dignitates stant capitibus detectis ante thronum Episcopi circum facientes, dicendi causa Gloria in excelsis Deo, Credo, et similia? Et quatenus negative: Quid sentiendum de contraria consuetudine ab iisdem Canonicis praetensa, sed tamen ab Episcopo non admissa, nisi facta ejus probatione, quam tamen consuetudinem dicti Canonici justificare praetendunt tempore quinque Praedecessorum.

Et S. eadem R. C. respondit:

„Servetur Caeremoniale Episcoporum.“

Et ita decrevit n. 4025 die 28. Aug. 1734 n. 4027 die 11. Decb. 1734 S. C. ad idem decretum repositum resp.: Obediant sub poena suspensionis.“

Vd. *Tertia* (quomodo etc.)

4) Celebrantis in Missa solenni.

Ad dubium: Utrum Celebrans in Missa Solemni, quum sibi est sedendum dum cantatur *Gloria in excelsis* et *Credo*, pergere debeat ad Scamnum capite operto, et ita redeundo ad Altare, ac utrum ad eos versuculos, ad quos sibi est inclinandum, excepto solo vers.: Et *incarnatus est*, contecto pariter capite ei liceat inclinari? S. C. resp.:

„Negative, atque ita servandum in omnibus aliis Pisanae Dioecesis Ecclesiis tam exemptis, quam non exemptis.“ n. 4672 ad 13. die 12. Novbr. 1831.

5) In choro.

Vd. *Chorus* (reverentia.)

6) Dignitariorum.

Non potest facere prima Dignitas Cathedral. Spolet., ut eidem Assistentes superimponant biretum et pileolum. n. 2967 ad 3 die 20. Sept. 1687.

7) Episcopi assistentis.

a) Quando deponatur?

Vd. *Pileolum Episcopi* (depositio.)

Si Episcopus assistat cum Cappa, debet stare capite cooperto, dum cantatur Confessio. n. 4669 ad 14 die 12. Nov. 1831.

Si Episcopus assistat cum cappa, debet stare sine bireto, dum a Presbytero assistente incensatur. n. 4669 ad 14. die 12. Novb. 1831.

b) Quis deponat?

Dum Episcopus cum cappa assistit, Canonici assistentes non tenentur eidem biretum ponere et deponere, sed Episcopus sibi ipsi caput detegere et tegere debet, quia assistentia proprie Episcopo convenit, quando est paratus cum mitra et tunc assistentes ei

mitram ponere et deponere debent. n. 249 die 21. Aug. 1604; n. 633 die 16. Majii 1626; n. 1118 die 5. Febr. 1639; n. 1143 die 16. Apr. 1639; n. 1375 ad 2 die 10. Maji 1642; n. 2707 ad 4 die 4. Aug. 1674.

Biretum Ordinariis locorum Divinis cum cappa interessentibus non per Dignitates aut Canonicos assistentes, sed per se ipsos poni et deponi debere. n. 1540 ad 1 die 16. Sept. 1645; n. 1567 ad 1 die 13. Sept. 1646.

Canonici assistentes non tenentur recipere biretum a manibus Episcopi et illud retinere. n. 1697 die 7. Mart. 1654.

Canonicus assistens non tenetur e manu Archiepiscopi, cappa induti, suscipere biretum, sed per Cappellanum hujusmodi implenda esse. n. 2174 die 3. Junii 1662.

Audito Archiepiscopo Ragus. ac mature perpensis rationibus adductis recessit S. C. a decreto 3. Junii 1662 et declaravit: Teneri assistentes accipere biretum de manu Archiepiscopi cappa induti et reddere eidem. n. 2246 die 4. Aug. 1663.

8) Ministrorum.

Ad dubium: An usus Bireti permitti possit Ministris indutis Pluviali?

S. eadem C. rescribendum censuerit...

„Permittitur usus Bireti, non vero *Pileoli*.“

Atque ita S. C. rescribendum et declarandum censuit. n. 5176 ad 4 die 25. Sept. 1852.

9) In Processionibus.

Vd. *Reliquiae*; *Processio* etc. (cap. tecto etc.); *Caput* (quando est deteg.?)

Assistens Celebranti et Clerici, qui dirigunt processionem Rogationum, possunt deferre biretum Sacerdotale? S. C. resp.: Negative. n. 4815 ad IX. 1. die 22. Sept. 1837.

10) In Processionibus SS. Sacramenti.

Cf. *Pileolum*.

Ad dubium: An in Processionibus, in quibus circumfertur SSmmum. Eucharistiae Sacramentum, ac praesertim in illa Papali SSmi. Corp. Christi, liceat Canonicis in Episcopali Dignitate constitutis, ac Praelatitiis indutis indumentis incedere cum Bireto?

S. eadem C. rescribendum censuit: „Negative in omnibus.“

Atque ita S. C. rescribendum et declarandum censuit. n. 5176 ad 7 die 25. Sept. 1852.

11) Coram exposita reliquia s. Crucis.

Vd. *Reliquia* (veneratio, decr. n. 4956).

12) Coram expos. SSmo.

Vd. *Instr. Clem.* §. VII. n. 7, 8, 9, 10, 11; §. XX. 12; §. XXI. n. 11; §. XXIV. n. 22; §. XXV. n. 4, 5, 6 etc.; §. XXVII. n. 4 etc.; §. XXX. n. 7 etc.; n. 22; *In concione cor. exp. SSmo.* §. XXXI. n. 7, 8 et 9.

Chorus, dum recitat horas canonicas ante SSmmum. velo coopertum, in loco eminenti, poterit sedere, tecto etiam capite cum bireto sed laudandus esset, si sederet detecto capite. n. 4469 ad 3 die 10. Sept. 1796.

13) Quod?

Quum Capitulum Cathedr. Venusinae Eccles. S. R. C. sequentia duo Dubia pro opportuna solutione proposuerit, nimirum:

1. An in Choro, et Processionibus, quae capitulariter aguntur, possit is, cui ob Magisterium et Lauream, aut Licentiam in Disciplinis Theologicis vel S. Canonibus obtentam, facultas conceditur deferendi Biretum cum quatuor apicibus, eodem Bireto uti?

2. An iste, contradicente Capitulo, punctationi distributionum obnoxius evadat, etiam si quadraginta ab hinc annis jam defunctus alius Sacerdos in

eadem Eccl. usus fuerit tali facultate, et nemo contradixerit?

S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente subscripto Secretario, propositis Dubiis occurrens rescribendum censuit: „Negative in omnibus, nimirum: nec uti posse in Ecclesiast. Functionibus tali Bireto, nec amittere distributiones, siquidem Biretum non est Chorale indumentum.“ Die 7. Decbr. 1844. n. 4991.

14) Regularium.

Ad dubium: In Rituali P. Cavalieri tom. 3 c. 15 decr. 39 legitur: Regulares pluviali indutos indubie uti debere bireto sacerdotali in funeribus et processionibus; talis doctrina tuto praticari valeat? Similiter inquiritur: an Regulares dicto bireto uti queant, quando induti procedunt de Sacristiis ad altare? et: quatenus negative: quomodo adimplenda est rubrica praecipiens sacerdoti celebraturo incedere cooperto capite et ex alia parte in aliquibus Ordinibus propter caputiorum formam, amictu cooperiri nequeat absque magna incompositione Sacerdos? S. C. resp.: Servetur Solutum: n. 4395 ad 12 die 18. Dec. 1779.

15) Sacerdotis.

(In accessu ad altare).

ORD. DISCALCEATORUM SANCTISSIMAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIV.

Praeses Conventus S. Caroli ad quatuor Fontes hic in Urbe Ord. Discalce. SSmae. Trinitatis Redemptionis Captivorum, advertens Sacerdotes sui Instituti dum pergunt ad Aram Sacram facturi procedere capite detecto, cupiensque ut ipsi se conforment dispositioni Rubricae Missalis Rom., quae Part. II. Tit. II. praecipit, quod Sacerdotes capite cooperto ad Altare procedant. Alumnos praedicti Asceterii

ad Capitulum congregavit, illisque rem omnem aperuit, ea tamen lege, ut quacumque ex parte cujusque opinio se verteret, sensus super re S. R. C. exquireretur. Disquisitione instituta, res cessit contra Praesidis votum, omnesque vel praesidio suppositae legis proprii Caeremonialis, vel consuetudini etiam immemorabili innixi, in voto fuere nihil esse innovandum, servandamque consuetudinem procedendi ad Altare eo in casu capite operto. Sed juxta praescriptam conditionem praedictus Superior ad hanc S. C. recursum instituit, ut super controversia de jure decerneret. Quae in Ordinariis Comitibus ad Vaticanas Aedes die 7. Mense Dec. anno superiore 1844 coadunata, satius duxit rescribere: „P. Procuratori Gen. Ord. pro Voto, qui transmittat Exemplar proprii Caeremonialis. Quae Omnia quum peracta fuerint et tum ex voto Vice-Procuratoris generalis scriptis pandito, tum ex parte secunda illius Caeremonialis §§. I., II. et XII., quod tamen legitima adprobatione caret, non eruatur quae in praxi et ex consuetudine servantur a Sacerdotibus praedicti Ord. dum pergunt a Sacristia ad Altare Sacrum facturi; propterea Emi. et Rmi. P. in Ordinariis Comitibus iterum ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunati, omnibus mature consideratis, praesertim quod juxta alias decreta nulla consuetudo praescribere valeat Rubricarum dispositioni, auditaque plena relatione a Secretario facta, rescribendum censuerunt: „Capite cooperto juxta Rubricas.“

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt a Sacerdotibus Discalceatis Ord. SSmae. Trinitatis Redemptionis Captivorum. n. 5018 die 14. Jun. 1845.

Ad dubium: An omnes Sacerdotes indiscriminatim uti possint Galero vulgo *Berretta* quum a Sacristia discedunt pro Missa celebranda et in aliis exer-

citiis, praesertim vero, an liceat Religiosis Sancti Joannis de Deo, qui Pa-rochi sunt omnium infirmorum in suis hospitalibus jacentium? Utuntur eo in quibusdam Provinciis, minime vero in aliis. S. C. resp.: „Non licere absque Indulto.“ n. 4718 ad 4 die 17. Aug. 1833.

S. BIRGITTA.

CALAGURITAN.

Ad preces Monial. Ord. SS. Salvat. in Asceterio s. Birgittae Dioecesis. Calagurit, ut in proprio Calendario Officium Virginis Filiae ejusdem Sanctae Birgittae, quod ex Indulto Apostolico recitant sub ritu duplicis minoris, in posterum gaudeat ritu duplicis secundae Classis cum Octava, et Officium ipsum sit integre proprium. S. C. resp.: „Pro gratia elevationis ritus ad duplex secundae Classis, sed sine Octava, et cum Officio hactenus recitato.“ num. 4715 ad 1 die 17. Aug. 1833.

S. BONAVENTURA.

In 2. Vesp. octavae s. Bonaventurae concurrentis cum festo s. M. Magdalenae debet fieri a capitulo s. M. Magd. n. 2284 ad 4 die 12. Julii 1664.

BREVIARIUM.

1) Approbatio.

Vd. *Missale* (approb.)

2) Benedictinum.

Vd. *S. Benedictus; s. Scholastica. Ritus* (mutat.)

Congregatio Cistercensium, utens Breviario Benedictino reformato, tenetur recitare Officia illorum Sanctorum, qui fuerint inserti Calendario Romano post acceptationem praedicti Breviarii Benedictini reformati. n. 1166 die 2. Julii 1639.

Cum S. R. C. sub die 16. Julii 1672 ad preces P. D. Stephani Secundi Ro-

mani Abbatis, et Procuratoris Generalis Congregationis Cassinensium concesserit, ut Officium S. Benedicti Patris ejusdem sub ritu duplici de communi Confessorum non Pontificum, cum solitis Lectionibus, a dicta Sacra Congregatione approbatis, recitari solitum per ipsam Congregationem Cassinensem feria III. non impedita, in posterum recitari posset sub ritu semiduplici a tota praedicta Congregatione Cassinensi et Monasteriis Monialium ejusdem Ordinis eidem Congregationi subjectis. Nunc vero pro parte Josephi Gamba Confessoris Monialium S. Benedicti Panormi, quaeritur:

1. An possit ex concessione praedicta Officium ut semiduplex s. Benedicti recitari in Adventu, Quadragesima et Vigilia?

2. An, occurrente in tertia feria festo semiduplici, debeat transferri, et celebrari eo die Officium s. Benedicti?

3. An debeat recitari in tertiis feriis infra Octavas Sanctorum, in quibus festa semiduplicia celebrantur?

4. Si aliquod Festum translatum semiduplex deberet celebrari in tertia feria, utpote in die, quae prima occurrit non impedita, debeat ulterius transferri et recitari ea die S. Benedicti?

5. Quid agendum sit in simili casu, quando Festum translatum non sit semiduplex, sed duplex vel primae, vel secundae classis, et deberet celebrari in feria tertia, die scilicet proxima succedente non impedita?

Eadem S. R. C. respondit, ut infra videlicet:

Ad 1. „Negative.“

Ad 2. „Recitandum Officium de semiduplici occurrente.“

Ad 3. „Negative.“

Ad 4. „Recitandum Officium de semiduplici translato.“

Ad 5. „Recitandum Officium de duplici quocumque translato.“